



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio XLI. Vtrùm conuenientior fuerit Incarnatio Filij, quàm alius
personæ diuinæ? S. Thomas art 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIO XL.

Vtrum persona diuina possit simul assumere duas
humanitates?

S. Thom. art. 7.

S. 1. **P**ARS affirmans videtur certa; quam cum S. Thoma art. 7. docent omnes Theologi: quia humanitas est de se capax vnionis hypostaticæ per potentiam obedientialem: Verbum autem, & quæuis persona diuina habet potentiam infinitè terminatiuam: vnio autem cum vna natura non opponitur vnioni cum alia: ergo potest persona diuina simul vniri pluribus naturis.

S. 2. Est autem difficultas, vtrum ea persona essent plures homines, an verò vnus? certum est non fore plures personas: alioquin nunc Verbum essent duæ personæ; altera diuina, humana altera: quia persona dicit in recto personalitatem, vel saltem explicitè: at nisi multiplicentur recta, aut explicita, non dicuntur nomina in plurali.

S. 3. P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 155. num. 18. censet eam personam fore tunc plures homines: quia censet concreta substantiua naturarum dici singulariter aut pluraliter pro sola naturarum pluralitate aut singularitate. in quam sententiam inueniuntur nonnulli, moti argumentis ipsius P. Vasquæ ipse diluit à num. 20. maximè illud, quòd nunc Christus esset duo viuientia: ipse enim fateatur Christum masculinè non esse duos, nec duos viuentes; neutre autem esse aliud, & aliud. Vt autem vitetur error Nestorij de duabus in Christo personis, semper est loquendum cum addito, Christum esse duo viuientia neutre, & secundum naturam.

S. 4. Eam sententiam docebunt necessariò, qui

docent nominibus substantiuis congerere naturam significari determinatè; suppositum autem indeterminatè & vagè: quorum memini disp. 39. §. 46. item dicunt nomina vnitatis applicari naturæ, seu significatò determinatè. Probo ita dicendum: Primùm, quia nomina vnitatis applicantur naturæ: & quòd, licet supposita sint tria, si natura est vna, est vnus Deus: ergo & nomina pluralitatis debent illi applicari. Probo consequentiam: quia vnitas, & pluralitas sumuntur ab isdem significatis. vt enim vnum subiectum cum duabus cognitionibus est vnum cognosceus: ita duo subiecta cum eadem albedine, sunt duo alba: si enim vnitas sumitur ab vnitate huius rei hoc modo significatæ; cur non sumetur pluralitas à pluralitate eiusdem rei eodem modo significatæ? item Deus est vnus: quia sumitur vnitas à natura; personæ autem sunt tres: quia significantur expressè: ergo vbi sunt tres humanitates expressè significatæ nomine substantiuo, erunt tres homines: & vnus non dicetur de alio, nisi valdè materialiter & concretè.

S. 5. Effet ergo vnus homo: quia in diuinis homo significat in recto personalitatem, & in obliquo naturam: rectum autem est vnum: ergo nomen non dicetur in plurali. Illa regula de formis est vera tum in purè diuinis: quia forma significatur in recto, id est ratio formalis. tum in purè creatis: quia natura est in recto; secus in mysterio Incarnationis: vbi natura ponitur in obliquo. Quæ facillè testes licet præmissis disp. 39. ab initio ad finem.

DISPUTATIO XLI.

Vtrum conuenientior fuerit Incarnatio Filij, quàm alius
personæ diuinæ?

S. Thom. art. 8.

S. 1. **C**ONCLUSIO affirmatiua, eleganterque probata à S. Thoma art. 8. quia Verbum est exemplar, quo res fiant ab artifice. Vt ergo factus est homo per Verbum, debuit refici per Verbum idem: estque Verbum imago Patris; homo autem factus est ad imaginem Dei. Alias rationes adducit Anselmus lib. 2. *cur Deus homo*.

S. 2. Et certè cum Christus vt homo sit sine controuersia Filius Patris æterni naturalis, & non

adoptiuus; melius & facilius explicatur subiectio & obedientia, quàm si Pater factus fuisset homo: Aliqui enim censent Christum vt hominem non esse Filium naturalem Trinitatis. quod etiam dicerent de Patre facto homine: quem vt hominem nullius personæ dicerent Filium naturalem. Est ergo hoc commodum non leue, vt clarè intelligatur obedientia Filij. Si verò Pater voluisset fieri homo, aut Spiritus sanctus; id possent optima ratione præstare.